



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDXXXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

pareret utilitatibus parvulorum, amoremque tantæ  
Matris extenderet.

A N N O M D X X V I I

25 S. P. Ignatius Sabbatum adeò habebat in  
veneratione, vt admirationem, & quæstionem eâ re  
mouèrit, vnde in carcere Complutensi Vicarius il-  
lum, post alia plura, de Sabbato interrogauit: re-  
spondit Ignatius; à se Sabbatum obseruari debito  
DEI Matris honori, non verò Indaicæ superstitioni.  
Scribit & M. S. Historia Aragoniæ Prouinciæ, Igna-  
tium supremæ huic Principi, per omnem vitam cor-  
datissimâ, vt loquitur, seu è corde intimo sapienter  
& sanctè profectâ pietate, fuisse addictè dedicatum:  
eamdemque pietatem ab illo Societati vniuersæ pro-  
hereditate relictam. Quisquis DEI Matrem colere  
vis, memento etiâ inter alia obsequia, vt aliquo pie-  
tatis officio diem Sabbati sanctifices, & in eo sanctifi-  
ceris.

Sabbatū  
in hon. B.  
V. reuere-  
ri.  
lib. 1. c. 2.

A N N O M D X X X I V

26 Eius, quæ nunc tanta est, vniuersæ Societa-  
tis fundamenta iacta sunt in MARIANO illo Marty-  
rum monte ad Parisios: vbi in æde Beatissimæ DEI  
Matris ad Martyres dictæ anno 1534. 15. Augusti,  
præmissis ante quotidianis ieiunijs, & oratione pro-  
lixâ, septem primi de Societate, id est, Ignatius, &  
sex Ignatij Socij, vota nuncupauêre, Paupertatis,  
Castitatis, quærendæ salutis animarum, & Hieroso-  
lymitanæ, (si quidem id fieri certum intra tempus  
posset) navigationis; vt se Assumptæ in cælos Vir-  
gini comites adderent, seque ipsos vnâ cum illa in  
cælum præmitterent hac sponsione vitæ cælestis.  
Quo ipso anno Henricus VIII. Angliæ REX fune-  
tus, publicum contra fidem Catholicam vexillum  
erexit. Quemadmodum S. Brigittæ dixerat olim.

Ad magna  
inchoanda  
locum, &  
diem B.V.  
sacrum  
diligere.  
Assumpt.  
B.V.

Bea-

Recel.  
extraug.  
c.69.

Beatissima Virgo; MATER DEI *vult esse pro Matre liberis Brigittæ*: ita suos filios hoc die ad illam duxit, & Societatem in eius velut sinu nasci voluit Ignatius, vt illa esset pro Matre filijs Ignatij.

ANNO MCXXXV.

Coram  
B.V. spi-  
ritum re-  
nouare.  
Assumpt.  
B.V.

27 Vota coram Beatiss. Virgine instauranda. Ita fecit, ita docuit suos Ignatius, vt quæ vota anno 1534. 15. Augusti MARIANO in templo ad Martyres nuncupârant, vertente anni curriculo instaurarent; vt quæ primæ voluntatis testis fuit Virgo, eadem auxiliaria esset eiusdem in eiusdem decreti firmitate manentis; atque ambulatoriam, quam dicimus, voluntatem illa firmaret, labantem erigeret, socordem incitaret, situ torpidam excitaret, frigidâ sinu materno foueret, ac pulchrius instauraret; denique à MARIA præsidium expectaret, si quid se offerret pro CHRISTO patiendum. Primas enim cunas in sinu MARIAE CHRISTI Matris, & in monte Martyrum habuit iam tum nascens sub benigno stellæ huius aspectu Societas; iam tunc ad patiendum initiata Virgini Matri à Patre Ignatio & primipilaribus suis. MARIA in hymno Ecclesiæ Græcæ dicitur *autor reformationis intelligibilis*. hæc est instauratio nostra, & renouatio spiritus nostri, vt referuescat.

Nomencl.  
Raynaudi  
pag. 245.

Marianæ  
solitudini  
studere.

28 Per hosce annos quibus Parisijs versatus est S.P. Ignatius, ne relanguesceret illa vis ardentis animi acriore in disciplinas Philosophicas ac Theologicas contentione ingenij hebetata, propè S. MARIAE ad Martyres in cauernæ cuiusdam adyta penetrabat, vel ad S. MARIAE *de Campis* dicte sacram ædem, solitudinis captandæ gratiâ, sese condebat solitarius: quò istic in suauissimo MARIAE Matris sinu se instaurans accenderet, ac pietatis damna, seu studiorum interualla, pensaret; sique quis languor irrepsisset, redin-